# IN OBITUM
# Christiani Quinti,

Regis *Daniæ* & *Norvegiæ*, *Vandalorum*,

E T

*Gothorum*, Ducem *Stervigiæ*,

*Holsteiniæ*, *Starmarniæ* & *Ditmarsiæ* ,

COMITEM

*Oldenburgi* & *Delmenharstiæ*.

C

C

Ol
D
til
ter
mi
mo
con
eff

## Ad Regalem Celsitudinem Illustrissimi

# GEORGII,

## Principis Daniæ.

Princeps Illustrissime,

*Cui potius, quam tuæ Regali Celsitudini dedicari debet hoc* θρηνήτικον *in Obitum fratris tui, Augustissimi Regis* Daniæ? *nam ille, qui, dum vivebat, tibi fuit Carissimus, nunc mortuus suaviter tibi in Memoriam revocatur, & certo mihi persuadeo, quicquid ad ejus Memoriam revocandam & conservandam conducit, idipsum tibi perquam Gratum esse ac Jucundum. Accipias ergo pro in-*

*nata tibi benignitate ac mansuetudine hoc mei in tuam Regalem Celsitudinum amoris & reverentiæ Testimoniem.*

Sum Servus tuæ Regali Celsitudini

Obsequentissimus,

*Gulielmus Hogæus.*

---

# IN OBITUM
## Chriſtiani Quinti, Regis *Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum* & *Gothorum*, &c.

DANUS obit Rex, ille potens opibuſque viriſque,
Heu! Regni decus ille ſui, decus ille piorum
Chriſticolum; nulloque licet ſit Principe victus,
Victus morte cadit, fati ſuccumbit acerbi
Legibus, & gelidi petit antrum immane Sepulchri.
Nil mortem & fera fata fugat, non aurea Crœſum
Gaza, aut magnanimi ſoboles te clara Philippi
Subdita Regna tibi & quæſitum ſanguine nomen,
Non te, Rex *Solomon*, animi ſapientia vaſti
Inclyta, non validæ *Sampſonem* robora dextræ

Eripuere, anima Libitinæ jure ſubacta
Depoſure caput mæſti ſub marmore buſti
Quis Lachrymas cohibere tuas, O magne *Georgi*,
Audeat, attonitas reſonet cum fama per aures
Fraternæ tibi mortis ? Et ecquis leniat ægri
Plagam animi, vulnuſque levet miſerabile, donec
Fræna dolor largis lachryimis juſtiſſima laxet ?
Quis luctum cohibere queat Venerabilis *Annæ* ?
Atque utroque *Ducis* geniti de Principe, qui nunc
Ante annos animumque gerit, curamque virilem ?
Quinetiam commune malum nunc perculit omnes
Paſſim homines : Varii lugent hæc Funera Reges
Sceptrigeri, proceresque dolent, quoſcunque per Orbem
Chriſticolum radiis Oriens Sol tundit Eois,
Heſperiiſve cadens : Habitum quoque luctibus aptum
Omnis ubique gerit rutilo Diademate cinctus,
Atque omnes proceres, & qui ſub regibus uſquam
Jura Magiſtratuſque regunt, & ubique Senatus

Omnis,

Omnis, ubique cohors equitum quoque perſonat omnis
Fletibus, atque ſuo clauſi ſub corde doloris
Intima luctiſonis develant vulnera dictis :
Albaque nunc tunicis mutarunt tegmina nigris,
Ut Mortis Monumenta gerant, & luctibus icti
Indicium dent veſte animi. Si ſubdita Lunæ
Phæbæum involvit ſubita Caligine vultum,
Protinus omnem hominum gentem pavor occupat ingens,
Haud alio mortale genus terrore tremiſcit
Occaſu, Rex magne, tuo, qui, ut Phœbus Olympo
In medio, Pulchris radiis per cuncta nitebas
Regna hominum, ſceptrumque manu, fulvumque gerebas,
Crine decus, Daniſque dabas Regalia jura
Belligeris. Nunc umbra tamen te lurida mortis
Obruit. Immodicum ſed vos compeſcite luctum,
*Anna* Soror, *Gulielme* nepos, fraterque *Georgi*
Principis Illius, qui Danica Regna tenebat
Jure pio, dulcique ſuos in pace regebat :

Nam

Nam velut è Patrio redivivus pulvere Phœnix
Filius, ecce, ſui generoſo è ſanguine Patris
Surgit, & in ſolio reſidet Fredericus avito,
Et pacem fovet ille novam, nova fœdera firmat
*Europæ*, ut poſitis Vigeat concordia bellis,
Et patrem vetat ille mori, quia vivit in illo.

Libenter Obtulit,

*GULIELMUS HOGÆUS.*

---

FINIS.

5